

fitati actionum occasionem, aut causam dedisse videri quandoque possit; (quod rursus ex infra dicendis cognosci poterit) finem tamen a causa impulsiva, ita & hic, non male distinguemus.

XVI. *De causa instrumentali*, qua efficiens principalis utatur ad producendum in hominibus gustum, aut participationem quandam securæ vitæ beatæ, hic dispiciendum venit. Quanquam enim, cum Deus post hanc vitam hominibus lumen gloriæ donat, & hoc ipso intellectum ad intuitivam sui (Dei) cognitionem elevat & perducit; immediate, seu non adhibito organo aut instrumento, id præstare credendus sit: in hac autem vita ad conferendam hominibus fidem verbo & baptismi sacramento, tanquam instrumentis utatur: (quod a Nostratibus receptum atque alias probatum, hic tantisper supponimus, donec infra, data occasione, uberius ostendatur ac vindicetur:) de collatione tamen prægustus beatitudinis in hac vita, dubium superesse potest, saltem quatenus in quæstionem venit, utrum prægustus ille beatitudinis ipsam visionem Dei claram, licet momentaneam, aut parvi temporis, veram tamen, importet; adeoque, sicut visio ipsa alterius vitæ, (a qua tantum duratione differat,) sine instrumento verbi externi aut sacramenti baptismi immediate conferatur? an vero prægustus ille actus alios, ab ipsa beatifica visione, & quæ cum ea per se conjuncta sunt, revera distinctos, etsi quodammodo similes, importet, atque ad genus actuum cæterorum spiritualium hujus vitæ pertineat, ideoque ad modum eorundem, mediante verbo, tanquam instrumento, produci soleat? Qua ratione porro disputari solet; utrum, si maxime prægustus beatitudinis non priorem, sed posteriorem obtineat formam aut rationem; tamen immediate potius, quam mediante organo verbi conferatur? quasi videlicet ea, quæ mediante verbo velut medio aut organo fiunt, eo usque se non porrigant, ut sensum futuræ beatitudinis inferre queant. Verum ut hic certi quiddam statuatur, & clara, satis appareant; de *Subiecto* & *Forma* prægustus, quem scrutamur, differendum prius esse existimamus.

XVII.